



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CCCLII. Die Markgräfin Anna von Brandenburg übergiebt die ihr lehnbare
Waldung bei Scherneck dem Kloster Langheim zum Eigenthume, am 21.
Dezember 1308.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](#)

CCCLII. Die Markgräfin Anna von Brandenburg übergiebt die ihr lehnbare Waldung bei Schernek dem Kloster Langheim zum Eigenthume, am 21. Dezember 1308.

In nomine domini Amen Nos Anna, dei gratia marchionissa Brandenburgensis, Lusacie dominaque de Hennenberg, omnibus, ad quos presentes peruererint, volumus esse notum, quod intuitu diuine remuneracionis et in remedium anime nostre et progenitorum nostrorum Boscum seu Lingna cum fundo eorundem, sita in der Awe, iuxta Sernekke, quorum medietatem quondam Christianus, aduocatus in Coburch, a nobis tenebat in feodum, appropriauimus venerabilibus et in Christo nobis dilectis Abbatii et Conuentui monasterij in Lanchein, ordinis Cysterciensis, et in hijs scriptis totum fundum et boscum predictum integraliter donamus et appropriamus, pure et liberaliter propter deum, proprietatis titulo perpetuo possidendum, renunciamus insuper exceptioni dotis seu propter nupcias donacionis, omni auxilio iuris canonici vel civilis, per que nostra appropriacio et liberalis donacio, viciarj posset vel eciam annullarj. Datum et actum in Coburch, Anno domini M°. CCC°. Octauo, In die Beati Thome martiris, presentibus Honorabilibus viris, Johanne et Henrico Capellanis nostris, Ludewico milite, et fratre Bertoldo de Tambach, et alijs quam pluribus fide dignis. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum presentibus est appensum.

Nach Schulte, Coburgische Landesgeschichte Anh. S. 33 Nr. LXIX.

CCCLIII. Ritter Johann von Plettenbrecht gibt den Hof Hukelsbek und eine Mühle zu Attendorf im Erzstift Köln dem Markgrafen Woldemar von Brandenburg auf, am 29. Januar 1309.

Nos Johannes, miles, dictus de plettenbracht, omnibus presens scriptum visuris et audituris notum facimus publice protestando, quod proprietatem bonorum nostrorum, curtis videlicet hukelsbeke appellate et molendini nostri, in fluvio dicto bychenna siti, apud muros opidi attindorne in terra westualie, que annuatim ad XX marcarum denariorum in Sosato usualium redditus se extendunt, ad manus illustris principis domini nostri woldemari, brandenburg, Lusatiae et landisberg terrarum marchionis, ob spem gratie sue liberaliter resignamus. In cuius resignationis testimonium presens scriptum nostro secreto sigillo, cum ad presens aliud non habeamus penes nos, duximus roborandum. Datum Sosati, anno domini M. CCC. nono, feria quarta ante purificationem sancte marie virginis.

Nach dem Copialbuche des Geh. Rab. Archivs I Cod. 4 in quarto Bl. 41; — Gercken's Cod. I, 213. 214.